

Reliquas quoque partes aegritudinis, utiles esse dicunt, misericordiam ad opem ferendam, et calamitates hominum indignorum sublevandas: ipsum illud aemulari, obtrectare, non esse inutile, quum aut se non idem videat consecutum, quod alium, aut alium idem, quod se: metum vero si quis sustulisset, omnem vitae diligentiam sublatam fore, quae summa esset in eis, qui leges, qui magistratus, qui paupertatem, qui ignominiam, qui mortem, qui dolorem timerent. Haec tamen ita disputant, ut resecanda esse fateantur, evelli penitus dicant nec posse, nec opus esse; et in omnibus fere rebus mediocritatem esse optimam existiment.

Fin. I. 13. Cupiditates sunt insatiabiles: quae non modo singulos homines, sed universas familias evertunt; totam enim labefactant saepe rem publicam. Ex cupiditatibus odia, dissidia, discordiae, seditiones, bella nascuntur. Nec hae sese foris solum jactant; nec tantum in alios caeco impetu incurruunt: sed intus etiam in animis inclusae inter se dissident atque discordant.

Senec. de clement. c. 17. Nullum animal morosius, nullum est majore arte tractandum, quam homo.

III. FRAGMENTA LOGICA.

Fin. I. 7. Jam in altera philosophiae parte, quae est quaerendi ac disserendi, quae λογικὴ dicitur, iste vester (Epicurus) plane, ut mihi quidem videtur, inermis ac nudus est. Tollit definitiones; nihil de dividendo ac partiendo docet; non, quo modo efficiatur concludaturque ratio, tradit; non, qua via captiosa solvantur, ambigua distinguantur, ostendit: judicia rerum in sensibus ponit; quibus si semel aliquid falsi pro vero probatum sit, sublatum esse omne judicium veri et falsi putat.

Fat. I. Quaestio περὶ δύνατῶν tota est logicae, quam rationem disserendi voco.